


BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

896

26821





VATICINIA.

Ex natura & moribus deprompta,
de Anno Domini M. DC. XII.
& M. DC. XIII. aliisque
sequentibus.



In Zoilum.

Hinc, quod proscindas mordaci dente libellos
Hosce meos, fructus Zoile quid referes?
Id referes fructus quod aranea, rumpitur illa?
Tu quoque rumperis, Zoile præ inuidia.
Instar apum, variis lecta hæc de floribus vltra
Mella fero, prosunt, nonque nocere queunt.



C R A C O V I Æ,

In Officina Simonis Kęmpinij. Anno Do-
mini 1611.

47.897

In Arma antiquissimæ domūs Komorouiorum.



Flumina quid dictant terno distincta tenore?
Virtutem meritis quæ fluit eximiis.
Spes, charitas, atq; alma fides, Komorouia firmat
Stemmata, relligio sancta probatur eis.
Omne decus, pietas, constantiaq;, ornat auitam
Hancce domum, Regno, Regibus eximiam.
Prae reliquis, clarum nomen, virtusq; perennis,
NICOLAE tuum laude sub astra volat.
Martis artishonos, aduersa pericula pellens,
Defendis Patriam: Marte togaq; potens.
Pace forisq; vir es, grandi celebrande cothurno,
Virtutem nouit Turca Gethesq; tuam.
Felix o heros fortissime, viue, tot annos
In mare quot guttis vistula fertur aquæ.

XVII - 896 - I

Illustri ac Magnifico Domino,
D. NICOLAO è KOMOROW
KOMOROWSKI COMITI IN LIPTOW,
& Orava, Capitaneo Osniecineñ: &c. &c.
Domino & patrono suo colendissimo.

S. P. D.

DOgmata h̄ic tradam Illustris ac M̄agnifice Domine, quæ partim inter legendum, partim inter commentandū, partim inter audiēdū à plurimis didici, scitu non iniucunda, neque planè inutilia: præsertim si tædium leuare, à labore, assiduisq; magnarum rerū occupationibus, libeat. Evidem quiescere subinde, & leuioribus hisce, ac ridiculis dicteriis, post seria & grauia quæq; expedita negocia vires instaurare quisq;, & animum resumere poterit. Quippe cum nemo sit, qui illud Ouidii non passim in ore hab eat:

Quod caret alterna requie, durabile non est.

Etenim: *Post multa virtus opera laxari solet.*

Ac proinde ut sunt vices somni, & vigiliæ, noctis & diei, tempestatis & serenitatis, belli & pacis: ita labores leuandi curarum intermissione. Neque aliam profectò ob causam cognitionem Musices magnis viris conferre ait Aristoteles, nisi ut interim anxetas illa, & animi amaritudo quam curæ & assidui labores im-

portant, non absq; delectatione, & cōcentū suauitate pellatur. Quis enim adeò patiens est laborum, qui tempore nullo fatigetur? Quapropter, vt gnauus miles pugnat ad palum, iaculatur ad scopum, torquet fundam, vibrat hastam, decertat palæstra, concurrit lanceis, armatus in equum insilit: Denique confecto opere, sic feriatur à belli muniis, vt postmodum ad ea redeat vegetior. Quod refert Lucanus

Nec semper in armis.

*Bellica turba manet: nec tota classicus horror,
Nocte dieque gemit, nec semper Gnoſſius arcu
Destinat, exempto ſed laxat cornua neruo.*

Et galea miles caput, & latus ense resoluit.

Sic viri industria, labore intenso, & operum mole fatigati, relaxationem animi mediocrem captare debet, vt ad negotia sua redire valeant alacriores. Non aliā sanè ob causam, Amazis Rex Ægypti, quondam reprehensus ab amicis, quòd perfunditus negotiis forensibus, liberiùs potaret, omniq; voluptatum genere solveretur, respondit: *Qui arcus habent, eos non intendere, niſi quum opus eſt: quos ſi ſemper intendant, rumpendos eſſe, ac ne tum quidem fore vſui, quum exigit vſus.* Ita qui nulla relaxatione curas suas ſoluunt, aut mente captos, aut corpore malè affectos euadere. Quocirca, vir diligens, leuia interdum tractet, vt & corpus leuare queat, & mentem reficere. Nam quis dubitat recreationem homini nō modò necessariam, verūmetiam utilem eſſe? Cum in anima-

nimatorum quoq; & ratione carentium vires, ea mirū
in modum reficiantur & restaurantur? Terra enim,
arbores, cæteraque id genus, nullo modo possent pro-
ferre fructus suos, nisi fessa statutis temporibus quie-
uerint. Ait enim poëta.

*Illa seges demum votis respondet auari
Agricola, bis quæ solem, bis frigora sensit.
Illiū immensa ruperunt horrea messes.*

Igitur quando huiuscmodi sese offeret occasio, li-
cebit & nugas, quæ h̄c proferuntur, inspicere, atq; ijs
animum relaxare. Neq; Illustris ac Magnifice Dñe fe-
res indignè, quòd sub auspiciis tuis eas diuulgauerim,
tanta grauitate, & eruditione, præstati Heroi, non fru-
giferas modò, sed etiam necessarias fore confido; vt
quem sciam tractatione maximarum rerum semper
præpediri. Ergo mirificam capies voluptatem, dum
à seriis rebus paululùm animum & cogitationē tuam
auocaueris, eos mores leuissimorum, & non adeò iu-
dicio magno spectandorum homuncionum (quāvis
auribus tuis fortasse indignorum) h̄c cernes. Ratio-
nem naturæ frequenter h̄c miraberis. Mitto enim
quod plerique nihil ardentius desiderent, quam id ge-
nus vaticinia cum animi alacritate speculari. Neq; ve-
rò Tibi mirum videri debet, me his ludicris seria ad-
miscere. Id namquè Seneca optimus morum infor-
mator & magister, præcipit, cum inquit: *Quemadmo-
dum celator, oculos diu intentos ac fatigatos remittit, atq;
uocat*

uocat, & (ut dici solet) pascit : Sic nos animum debemus aliquando relaxare : & quibusdam oblectamentis reficere : sed ipsa oblectamenta opera sunt. Ex his quoq; si obseruaue-
ris, sumes quod posse fieri salutare. Parva scilicet hæc sunt quibus singularem quam multi quotidiè experiuntur gratiam ac benevolentiam Tuam , aucupari velim. At verò cum nihil statim & incepsum sit & perfectum, minutioribus hisce gratiam promererri cuperem. Nam & maximarum rerum, non maiora plerumq; initia extitere. Meliora igitur præstabimus dum dabitur amplior opportunitas, & fortuna latioribus nos aspiciet ocellis. Quocirca, suscipe lœta fronte, Illustr: ac Magn. Domine lucubratiunculas hasce meas, & meum potius in his animum, qui nihil cupio magis, quām me tibi officiorum meorum promptitudine commendare, & gratiam Tuam hoc qualicunq; labore promererri. Vale Illustris ac Magn. Domine diu atq; felix; sed & humilis serui tui memor. Dat: Cracouia. Anno M. DC. XI. vltima Decemb.

Illustri ac Magn. Domin. Tuæ

Addictissimus,

Sebastianus Sleskowiski:

COMMENDATIO OPERIS.

VAticinat liber hic cunctis de gentibus, imò
Qui casus venient non venientque refert.
Ergo hunc volue librum lector sapere ut videaris.
Sint licet hæc parua ast scire ea quemque iuuat.
Nummos incusas? emitur sapientia magno.
Ergo sit in damno gratia grata tuo.

Ioannis Silnicki.

ALIA.

Si me fortè rogas quid continet iste libellus?
Informat mores, acta futura canit.
Haud adhibenda fides semper, quæ nuncia cælo
Vates desumunt, quique futura canunt.
Non semper credenda Ceres fallacibus aruis,
Nec semper viridi concavaa puppis aquæ.

A L I A. *Stanislai Silnicki.*

Si quem cura premit, contractam exporrigefrontem
Huc oculos vertens, id bene namque potes.
Si veterem, quærisq; nouam rem, multa videbis,
Quæ genium possunt exhilarare tuum.

A L I A. *Samuelis Silnicki.*

Multa legit, quicunque bona sua mente reuoluit
Facta, sed ille magis scit, qui in honore legit.
Ergo docet liber hic non vanam mente Sophiam,
Suadeo volue librum hunc qui cupis esse Sophus.

Gabrielis Silnicki.

ALIA

ALIA.

CLarus moribus esse concupiscentia,
Naturæ vaticinia ista volueret:
Accedet recreationis usus,
Inter seria nil nocet iocari.

Petri Silnicki.



AD LECTOREM.

NON eram nescius Candide Lector, cum hacce meas lucubrationes literis consignare in animum induxissem, futurum esse, ut hæc mea opera in doctorum hominum virtuteratione grauiissimam incideret. Quidam enim leuitatis me arguent, quod lenia & ludicra tractem. Quidam vero simplicitate stylis offendentur. Quorū ego sic retundo obiectiones. Ac primū, quod attinet qualitatem materiæ, breviter respondeo. Fateor equidem lenem esse materiam, sed studiose tamen & ex industria me illam assumpisse per tristandam, nempe, non ut docerem aliquid (quamquam multa multa, eaq; vita comuni proficia, hinc haurire possunt) sed ut ad tua legenda graniora illa scilicet, qua tu benigne Lector serio fortasse scripsisti, ludicris istis sessos, prouocarem & incitarem. Quo nomine debes mibi gratias agendo, esse index & equus & mitis, non inuidus, non malignus. Alterū autem sic diluo. Simplicitatem Lectoris simplicem stylum requisuisse putabam. Neque enim adeò Tibi, qui magis ardua & elegantiora scribere legereq; consuesti, quam potius meis benefactoribus & amicis, amici relevandi causa, hæc dequentur. Quapropter non debes fugillare, non detrectare, non infectari. Neque enim ita me amo, ut hinc ingenij aliquam laudem acquirere cupiam, vel doctrinae alicuius ostentationem velim aucupari. Vale, & hoc quicquid est, equi boniq; consule.



DE CHRI-

DE CHRISTIANIS VATICINIVM.

Ac primū quidem breui verborum symmetria de quatuor na-
tionibus perstringam. Inter quos Christiani populi primū se of-
ferunt. Christiani igitur sunt duplices. Alij veri, & hi sunt boni
Catholici. Alij non veri. Non veri rursus duplices sunt. Alij qui
nec videntur esse Christiani, nec sunt, & hi sunt Hæretici omnes om-
nium letatrum. Alij qui videntur quidem esse & non sunt, veluti ru-
stico orichalcum aurum. Et hi quidem sunt mali Catholici, qui etiam
in sacris literis designantur per paleas tritici. Horum omnium est ima-
go & similitudo in corpore nostro expressa. Nam quemadmodum in
nostro corpore alia sunt membra, ut Caput, thorax, manus, pedes, &
aliae minutiores partes. Item sanguis, ossa, cæteræq; similares partes,
quibus sanis nobis bene est. Ita quoque in Ecclesia sunt primo boni
Catholici, qui credunt Deum esse trinum in personis, unum in essen-
tia, qui unam sanctam Ecclesiam Catholicam Romanam Apostoli-
cam puro corde, ore, & opere profitentur. His sancta mater Ecclesia
tanquam propriis membris gaudet, ac delestat. Et sicut in eodem
nostro corpore sunt humores praui ac noxi, ut cholera, melancholia,
phlegma: & excrementa, ut sterlus, vrina, mucus, sputum, sudor,
quæ corpus tanquam sibi nocua ac contraria expellit. Hæc autem
antequam egerantur, vehementer nos excruciant, eiecta autem om-
ni dolore leuant: Sic etiam Ecclesia Dei antequam molestissimum o-
nus hoc & tormentum ventris sui (hæreticos nimirum) deiiciat, grauissi-
mè cam atfligi excruciariq; est necesse. Iam verò ut deiiciens non potest
non perfundi gaudio, dum sentit se onere leuatum esse: pari ratione,
dum fætida ista excrementa, qualia erant illi non bipedum modo, sed
quadrupedum etiam impurissimi Diabolice sectæ assertores: Arius,
Hus, Caluinus, Lutherus, & sexcenti alijs hæreticorum antesignani,
& infernalestitiones: quos mater Ecclesia ex gremio suo, tanquam ex
alio cum mordicatione foras egessit, & gehennæ destinavit. Denique
sicut in corpore nostro sunt multæ superfluitates, ut sunt pili, vngues,
verruæ, & id genus alia, quæ quamuis non sint membra nostri cor-
poris, tamen ex eo protecta, ad illius ornamentum pertinere viden-
tur. Et

eur. Et quoniam hæc non cruciant quidem , sed, producta supra modum, leuiter molestant, idcirco solent radi , præcidi, atque foras vel in ignem deijsi: Non secus mali Catholici, etiam si partes nostri corporis, & membra capitinis eiusdem quodammodo esse apparet, non tamen ob hoc sunt. Et quoniam excreti & multiplicati inter nos, deformant, deturpantq; corpus Ecclesiæ, idcirco præcisi ac in fasciculum colligati in ignem projcentur , tanquam nulli vsui apti. Age verò , vt hæc omnia , quæ haec tenus de Christianis dicta sunt , alicui vsui nobis esse possint, vaticinijs posthabitibus, medicum agam. Ad vos igitur ö viri in magistratu positi verba facio, vos mea spectat oratio. Si vultis futuris annis sanitati vestre bene consulere, nec ad mortem ægrotare, hæc quam vobis medicinam affero sumite. Purgate corpus hoc vestrum, potestis enim saltem velitis, Ciuitatem intelligo, noxijs humoribus scilicet hæreticis, qui sunt sentina omnium malorum, perpurgate, & perfecta sanitate perfruemini. Præscindite vngues nimis prominentes, radite cæsatiem capitinis vestri. Quod vos tunc primum præstitisse existimabitis, si eorum , qui in Catholicorum bonorum palliolo tanta patrant scelera, quantanè inter gentes quidem, feras illas, & barbaras, audita vnquam fuere, non cultro vngues præscindi, non capillos nouacula radi volueritis , sed manus securi amputari, capita nebulonum ac tenebrionum omnium gladio , quem gestatis ad vindictam malorum, & defensionem bonorum, decollari contenteritis.

DE IUDÆIS.

Sequitur ut de Iudæis fatidis aliquid perstringam, quos Saturnus consensu omnium Mathematicorum designat. Quatuor verò eaque detestabilia scelera Iudæorum (omissa infinita colluie soridum illorum) notare mihi visum fuit. Primum, Machinabuntur adhuc fraudes, dolos, imposturas, & quod maius eit, multos spoliare fortunis, trucidare fœnore contendent, sed eis non succedet, propterea, quia Saturnus Iudæorum Planeta in multorum Christianorum domibus sequentibus annis decurrentis, docebit eos hanc eandem artem Iudaicam, ita vt illis diebus non facile queas dignoscere, vtrum plerique nostrorum ioco, vt in comædia, an serio Iudæos agant. Veniet enim tempus, quando non soli Iudæi, verum etiam multi Christiani pecuniam suam in fœnore collocabunt. Sed quid dico veniet? Nam ante 4 annos scio quandam Ciuem Polonum in tractu

tractu Cracoviensi, datis fænori florenis quadringtonitis, ex eadem pecunia fænus centum flor. sibi accepisse, ab altero nobili. Itaque factum est, ut qui volebat mutuos accipere quadringtonos florenos, quot nimurum opus habebat, trecentos accepit. Qui quidem fænerator est mihi bene cognitus. Sed ne ei conflare inuidiam videar, potius subtilendum esse duxi. Nam ut corpus vimbra, sic virtutem sequitur inuidia. Est scilicet hæc non postrema politica virtus querendi opes. Audiui & alterum quendam hoc idem facinus patrauisse præsenti anno, cuius etiam nomen eandem ob causam silentio inuoluo. Veritas siquidem odium parit. Hoc est primum scelus Iudæorum exitiale, quod hac inteliçi fænesta mundi Iudæi communissimum habent cum plurimis Christianorum. Cui quidem sceleri iam paratus est ignis æternus. Iam enim omnes huiuscmodi iustissimo Dei decreto iudicati, & nisi resipuerint, cōdemnatis sunt per prophetā. Quærit enim ille in spiritu: Dñe quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescat in monte sancto tuo? Tandem respōdet: Qui pecuniam suam non dedit ad versusam. Fæneratores, tanquam isti soli esent peccatores, in sacra scriputa, omissis alijs, prædicantur esse alieni, atque inepti Regno Dei. Alterum atrox facinus horum canum famelicorum est, per totum orbem cædes puerorum Christianorum. Anno Domini 1494. in Vngaria Tiruanie Iudæi seniores cum Christianum adolescentem occidissent, & scelus patefactum esset, comprehensi, & vieti, ante quam pœnas darent, cruciatibus adacti, quatuor causas facinoris fassi sunt. Prima, Gratia circumcisionis, quod hominis Christiani sanguis intra circumcidendum præputio illitus, sisteret cruentem, & saluberrimo adiumento foret. Altera, Fauorum: Nam si interfculo alicui daretur ad comedendum, ad conciliandum animum admodum conferret. Tertia, Menstrui: Nam cum inter eos viri ac mulieres menstruum languinis profluvium iuxta patientur, epoto Christiani sanguine illico liberantur. Quarta, Consuetudinis, reconditiq; decreti, apud eos enim clam decretum erat, ut quotannis in aliqua regione Iudæi Christianum Deo sanguinem libarent. Tertium horrendum ac nefandum scelus recutiti gregis, Vatinianum odium in Christum Dominum Deum & hominem verum Messiam. Vbicunque enim subollecerit vestigia præsentia illius, querit eum trucidare, querit animam innocentissimi pueri, cum crudeli Herode, in diuinissimo Eucharistia sacramento, quem ibi præsentem adesse credit, eripere. Testis est Casimiria Cracoviensis: testis Polonia, testis Bochnia, & alia multa loca, quæ recensere non est præsentis negotij. Vos vos ò

Magistratus supremi appello. Si quem certo persuasi essetis voluntate
peruersa & obstinata furari cupere Principem aut Regem vestrum, si
denum huius Principis vestri vite aut honoris insidiatorem noueris
tis aliquem, nonne eum continuo acerrima morte è vita tollendum
esse duceretis, & decerneretis? Hic est Rex, hic Princeps vester Christus Dominus, hunc Iudei non semel sunt furati, huius saluti & ho-
norii non semel sunt insidiati; immò occiderunt, interfecerunt, trucida-
gunt, & hoc usque insidiantur. Cur per Deum immortalem quos iam
pridem cruci affixos esse oportuit, liberos per regnum vestrum vagari sinitis? Tollite malum de medio vestri, & manus vestras sanctificabitis. Quartū scelus, videmus non nullos verporū, causa sui turpissimi
lucrī veste clericali indecens sacri ordinis abuti. Hoc autem faciunt
non nisi, quisele coram imperita plebecula iactantatq; ostentant Me-
dicos, hacq; ueste sola sibi opinionem auctorantur. Vulgus enim ex
veste iudicat. Vnde est ilkid, quod omnes togatos ac palliatos sacer-
dotes appeleret, etiam si non sint. Cuiusquidem rei callidus Iudeus
non ignarus, in ouium vestitu, ut ita dicam, medicum se lese insinuat in-
gratiam miseræ ac ieunæ plebeculae in Polonia. Sed, proch dolor, cur
tantum malum viget in Polonia? cùm in alijs regionibus, ubi leges di-
ligenter ac religiose custodiuntur, hoc facinus Iudeum impium pa-
lo affigit, & ad mortem malæ crucis adigit. Adeo Iudeus nusquam non
imponit. Pudet quidem dicere, sed tamen in medium proferam. An-
te annos aliquot, cùm primum media Quadragesima Cracoviā ve-
niſtem, nec adhuc forte quempianossem, veni in ædē Diuī Mariæ, ut
tanquam verus Catholicus cōfiteri possem peccata mea, sed cum ne-
minem Sacerdotum reperiſsem, exiui. Interim dum oculos conioco in
turbam, ecce Iudeus ante ipsos fores templi adstat, amiētus ueste sa-
cerdotali, Doctorem se lese medicum iactans, ultra progradientem, ne
à Scholaribus, quibus est perpetuum cuius Iudeis odium, interturbetur,
Inscius conditionis ille cuius fuerit, & generis reuerenter aperto capite
accessi ad eum, & rogaui, ut confessionem meam pro suo pastorali
officio exciperet. Expalluit ille præ timore: Verebatur enim, ne ex
eo pñas sumerem, propter pudorem, quo vehementer suscitatus erat,
& cuius ipse causa erat mihi. Quocirca quæro ex vobis ò Antistites, cur
hoc cedit illis impune? quod contra promulgatas leges eiusmodi ve-
stitu in contemptum Sacerdotum superbiant, & publice eis amiēti
incedant? Cur non pñam contumaciæ subeunt? & recutitus à toga &
pallio ad tunicam, & crocatam detruditur? Hæc de Iudeis.

DE TVR-

DE TVRCIS.

Primus qui Regis Turcarum nomen tulit, tantiq; imperij fundator extitit, à tenui Galaciæ oppido in Scythia, quod Ottomanicum hodie appellatur, Ottomanus est dictus, quod nomen postea in familiam transiit. Cœpit autem Ottomanicæ domus imperium Anno à partu Virginis M. CCC. quamquam quadringentis ante annis Turcas ex Scythia profectos, in Asia sedes occupasse, compertum est: qui tamen Regem aut imperatorem ab initio non habuerunt, vt pote qui diuisi per Tetrarchas, & regulos, cum imbellibus Asiae populis Constantino politanisq; Cœsaribus suo arbitrio bella gerere confluissent: quanquam eos aliquando in vnum consentire coegerit communis metus à Gothifredo Bolionio vniuersæ Asiae illatus. Colunt isti populi Maumethen, non quidem diuino, vt quidam rudiores existimant, cultu, sed eo, quo Iudæi Mosen. Hic Maumethes assertabat se à Christo verbis manifestis promissum fuisse, scriptumq; esse in Euangelio: Prædico vobis post me venturum esse Dei nuncium nomine Maumethen, spiritum veritatis, qui docebit vos omnia. Cœterum ea machinatio & callida erat & ridicula. Quippe ante Maumethis aduentum causa nulla erat, quare potius Maumethis, quam Pilati, vel Iudei, vel Antichristi nomen Euangelio subtraheretur. Falto igitur nomen suum posuit, vbi apud Joannem Dei spiritus promittitur. Prognosticon hoc de illis verum esse potest: Armis imperium suum, donec durabunt, tam defendere, quam proferre conabuntur, quod coniçere nullo negotio quis ex eo potest. Quidam vetus atque perpetuum eorum institutum est, vt intrant templum supplicandi causa imperatori, Talismans editus sacerdos occurrat, claraq; voce pronunciet, vt meminisse velit, imperii, quod iustitia & virtute bellica partum sit, non alijs quam ijs de artibus conseruari, propagariq; oportere.

DE SCYTHIS.

SCythia est regio septemtrionalis latissima, in duas diuisa partes, Europæam, & Asiaticam, utriusq; varie ac prope innumerabiles gentes. Sciendum autem est, Scythicum imperium non tantum antiquitate, sed etiam vastitate locorum & numerositate gentium suarum longe superare ditiones Turcas: si quidem ipsi inter se non

cantum loca regionum, verum etiam nomina illarum videre neque-
unt, ne dum nos Christiani. E quorum numero, Georgi, & Alani (te-
ste Sab. lib. c. Ep. 10.) Scythæ sunt. Pars regni huius trium dierum
circitu, tam densa obducta est caligine, vt ob tenebrosam speciem
nemo locum subeat, nec cernere sit aliquid in ea densitate tenebra-
rum. Qui in proximo habitant, exaudiri aijunt inde voces hominum,
& gallorum cantum, hinnitum equorum, nec horum quicquam vide-
ri, regionem ipsam Anisen vocari. Fluit ex ea terra amnis, qui suo in-
uenit arguit locum non esse sine humano cultu. Haytonus qui ad
haec usque loca se peruenisse ait, auctor est in Georgiae gentis mo-
numentis proditum. Christiani cultus manum ingentem in ea olim
loca compulsa impia Sauorini Regis Persarum insectatione. Cæ-
terum cum hostile ferrum fugientium cervicibus immineret, miraculo
euensis, ut profuga multitudo, tenebris sit repente obsepta, in minu-
tissimi valli speciem. Ex quo iam non difficile est diuinare Tartaros
non fore quidem cupidos dilatandorum imperij sui terminorum, sed
autis, modo illas in pace retinere possint, contentos futuros. Verum
tamen illi fieri ac furiosi latrones contendent, atque elaborabunt, se-
quentibus annis in vicinum illis regnum, quod est Poloniæ, excursio-
nes perpetuas facere, ut multis opibus spolient ac denudent ciuita-
tes, oppida, rura, ac pagos exurant, pecudes abigant, plures trucidant,
plurimos in captiuitatem abducant. Quos tamen per Dei gratiam, ni-
hi forte discordia, interitus Rerump. obstiterit, fortiter resistendo &
pene quotannis cædendo nostri, à conspectu suo longe remouebunt,
& in vastis illis solitudinibus quasi obligabunt. Nec vt voti sui com-
potes fiant in Germaniam, totamq; Christianitatem, quam veluti mu-
rus ab excursione Turcarum, Tartarorum, & aliarum vicinarum gen-
tium tutantur, perrumpere patientur. Quo nomine multum se fatig-
deberent Polonis vix grati erga Poloniam siue eius incolas Germani,

D E C R A C O V I A.

NCOLÆ & habitatores Cracouieñ: proximo & sequenti-
bus annis non poterunt, tutè & tranquille, ac placide, vi-
tam degere, propter aspectum Martis: Duobus enim ingen-
tibus prementur malis. Quorum primum erit bacchatio: Instabunt
enim quidam furiosi grassatores, immo potius latrones, qui à prima
fase noctis, vique ad primum sèpè diluculum omnia loca, omnes
plateas,

plateas, vicosq; circumiectes, in eos, quoscumque armis, & viribus
sibi impares preprehenderint, vel etiam quos imbelles agnoverint, sa-
lientium instar ferarum debacchabuntur: eos vero, qui sibi superio-
res visi fuerint, non aliter atq; oculi nocturna lumen solis, aut Cro-
codylus persequenter se effugient. Sunt enim simillimi Crocodylo,
cuius hanc ferunt naturam, ut persequentes se fugiat, fugientes autem
perniciissimè persequatur. Evidem face illa & colluione hominum
(quos passim Clepardienses milites vocamus) sub concauō lunae
quid potest esse vilius? quid abiectius? quid Fordidius? In quos verè
illud quadrat: Nos numerus sumus & fruges consumere nati. Cum
enim labores hominum isti gurgites ac voragine depascant, ac hel-
luentur, ipsi vero in commune sua operari nihil conferant, tantu singuli,
singulis diebus annonę ciuitati liguriunt, quantum uno die inuita-
ti coniuixisse consumerent. Vnde patet si sint eiusmodi homines cen-
tum (sunt autem mille) quantum bonorum hominum panis singu-
lis diebus auferant ac deuorent. Interdui vrsi ac lupi isti carniuori in
receptaculis suis delitescent, quandoq; etiam speciem bonorum si-
mulantes ac gerentes, in soleim procedere non verebuntur, conuer-
sariq; cum hominibus audebunt. Hespero autem oriente, se ex iisdem
repente tanquam serpentes è latibulis suis effarent. His non erit no-
uum, vestibus, nullo habito respectu sexus, etatis, conditionis, di-
gnitatis, exponere, immo (proh dolor) denudare. Memini Anno
Domini 1509. in platea (si bene teneo) S. Stephani, cuiusdam ciui-
famulam miseri allatum Cereuisiam suæ heræ, ubi extra limen prima-
noctis egressa est, illico omni vestitu priuatam & spoliata fuisse: Cla-
mavit illa, var ingeminabat, nil profecit. O si adstitiles tunc, quasi
rursus ex vetero materno regens prodijile eam videre potuisses. Non
erit præterea nouum, simulare se cum alijs armis decertare, iaculari,
nonnunquam ut commodius, quod est intus reconditum, forentur
effringent multorum fores, auellent claustra; non erunt pigri ad can-
tandum, clamandum, vociferandum, ne deteratur strepitus ac strid-
or ad aures patris familias, suorumque quempiam. Has fortes at fa-
ces Ciuitatis, quidam alias honestiores imitabuntur, non quidem
caula furandi id facient, sed quia, decepti similitudine (cum præcla-
rum sit gerere bellum contra hostem Patriæ) speciosum quoque illi-
putabunt in via lapidea militare. Et est captio Sophistica. Hic non
possum satis mirari quosdam Thysigeros, qui quamvis diligenter
Elenchos Arist: audierint, vnico tamen hoc sophisnate tam fa-
cile illaqueantur ac irretiantur. Plures tamen ab aulis negotiis in opia
debaccha-

debacchabuntur. Paucissimi omnium artifices manuales, scient enim se non ad bacchationem, sed magis ad crepidam esse natos. Huc accedet, quod edocti suo suorumq; periculo sapient, iuxta illud PHRYX plagiis melior. Tenebunt enim recenti memoria, quæ ab his omnibus, quos supra enumeraui annis superioribus, dum tempore nocturno saxa volabant, acceperunt. Ante aliquot annos incidi in quendam magnum atque honestum virū, qui mihi certo certius affirmabat, non pridē hæc Legatio Sac: Cæs: Mai, accidisse. Hic missus erat in Poloniā ad Sacr: Reg: Maiest: qui ut Clepardia pedē fixisset, cōspexit furiosorum & bacchantū virorum multitudinem, quorum quidam (vt nostris mos est) vociferare, quidam quasi ebrij minitari, quidam ad arma prouocare, gladios euaginare, quidam multitudinem plebis in fugam vertere, cōpērunt. Tantis malis perterritus Germanus, ex equo decidit, & in fugam se coniecit, ratus enim intestinum & Ciuale bellum, exortum fuisse (nunquam enim antea fuit in Polonia) ac ob id vitam suam in medium periculum proiectam, vt saluus & incolumis euaderet, subito Cracouiam se recepit. At cum & illic non absimilia conspexisset, quosdam enim bombardas explodere vidit, quosdam se insequi aduerit, miser vehementi terrore percussus, in templum D: Marci profugit, & ceruo velocior ibi se abscondit, existimans se ibi periculum euadere omne. Etecc Monachus quidam nomine Ioannes eiusdem conuentus incola, forte fortuna pertrāsiens, (missus enim erat à superiore petitum eleemosynam) in platea grauiter vulneratus, dicitur in Monasterium, vix incedit, sanguis sitti non potest. Quo animaduerlo Germanicus ille Orator, hæc in animo suo cœpit cogitare: Si domestico, & quod maius est, sacerdoti, præterea imbelli Monacho, qui nulla secundum gestat arma, non est partitum, qua ratione ego, cum sim alienigena, hic tutus esse potero? Ergo cursu præpropero in arcem Regalem euolat, tanquam locum tutiorem. Nec multum itineris confecit, & iam iterum videt in foro iacentem occitum hominem, eminus hominum turbam aduertit grastantium gladios stringentium, passim in obuios debacchantium. Tandem secum ipse sic loquitur: Iam non est cur dubitem, quin arx Regia sit claua, vt Serenissimus Rex ab incursione istius vulgi indomiti, & seditionis sit liberior. Non mihi ad eum patet interim aditus. Quocirca reuertar ad Sac: Cæsar: Maiest: & omnia quæ oculis meis vidi, quæ auribus hisce audiui, referam. Qui cum redijset, flexo poplite coram S.C.M. in hæc ferè verba prorupti: Primo omnium ô Cæsar inuictissime, Neo meo gratias, quantæ mente concipere possum, ago & habeo, qui me hucusq; illæsum, & incolumem

incolumem reduxit , nec manibus seditionis serum hominum discerpi
permisit . Deinde nuncio tibi militeriam esse faciem Civitatis Craco :
plena est tumultu , plena seditionis forum hominum multitudine , ple-
na bello intestino , ac domestico . Nulla pax ibi viget , mortalium ge-
neri placidissima , non tutus in plateis transitus , non in priuatis ædi-
bus commoratio , non in templis , vbi Deus Opt: Max: solet adora-
ri , & pia mente coli , vlla quies habetur . Arcis Regiae portæ omnes
occlusæ , & obstructæ sunt , vnde nemini licet ad Regem accedere .
Idcirco en & ego rebus infectis coactus sum redire ad S. C. M. T. &
haec tibi nunciare . His auditis Cæsar infremuit , & tristatus est veho-
menter , & turbato erat animo . Interim quidam Polonus nobilis non
ignarus legum Patriæ suæ , morumq; populi , qui tunc in aula Cæsaris
commorabatur , volens persuadere Gentem Polonam excelsi esse a-
nimi , nec adeò horridam & barbaram erga cæteras gentes , haç orati-
one animum Cæsaris mœrore leuauit , sique eum blandis verbis ag-
grellus est detinere : Esto bono animo & placabili , ô Cæsar inuidissi-
me , neque quicquam pertimescas de Polonia , aut inhabitantibus e-
am , turam tranquillamq; pacem Serenissimus Rex , Senatus , & popu-
lus Polonus trahit . Non bellum , non ciuilia dissidia , sed mores & vali-
di pectoris ausus vidit hic orator . De more enim & antiqua consuetu-
dine est receptum apud nos , vt orans multis & varijs armis vir mili-
taris incedat , ita vt si videris , potius vendere velle , quam illis vti , di-
xeris . Militia est stolidorum intra muros iaculari : fortitudo in foro
cædes agere , & stragem ingentem edere : laus imbelles armis repelle-
re , sugare , auertere : virtus , siue plebeium , siue Nobilem occidere , i-
gnavia proprijs viribus aduersarium suum non viciisci , sed eum in ius
vocare . Taceo peiora . Hæc & similia , cum illa sua fatis diserta oratione
(vt erat orator in aula Cæsarea præcipuus) Polonus narrasset , atq; in
laudes eximias Gentis siue exurrisset , omnes simul fremebant , sus-
pensiæ , & quasi obstupefacti stabant . Tandem Cæsar ridere , omnes
cachinnari , legatum sibyllis excipere cæperunt , eò quod talis casus e-
uenisset minus rem ipsam consideranti . Ac vt eo iam vnde digressus
sum , reuertar , aio . Si magistratus volunt , vt Ciues sui ocio fruantur
in cunctissimo , commodissimoq; , sique cupiunt , & remis (vt aiunt)
velisque contendunt , vt fabulam hominum euadant , & risum exterar-
um nationum euent , per purgant ciuitatem suam , ejulant lutum
fætidum eius , eluant fordes vbiq; scatentes , alias non erit pax . Se-
cundum multo execrabilius malum premet atque urget hanc ciui-
tatem , perpetua discordia , certus Rerum publ. interitus , inter ciues re-

gnabit. Cuius causa erit diuersitas cultus Deorum. Quæ enim partici-
patione, iustitiæ cum iniuitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras?
Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infi-
deli? Qui autem consensu templo Dei cum Idolis? Dominabitur
autem tam diu hoc malum, quamdiu vel vnuis in ciuitate manebit,
qui religionem puram & orthodoxam fidem Romanam velit con-
spurcare. Quoniam posita causa ponitur effectus, & sublata eadem,
tollitur quoque, ut Philosophus verissimè dixit. Non est itaque sapi-
entis putare, ut durantem causam non possit effectus cosequi. Sed
quid opus est multis? Commemorate vobis omnes tumultus atque
feditones ciuitatis huius vestræ, ab illo anno infelicissimo incipien-
tes, quo primùm hoc genus Gabaonitarum à Tartaro Orco emisum
apud nos peregrinari cœpit. Commemorate & inuenietis nullam se-
ditionem maiorem, & vobis periculosem vñquam accidisse, quam
eam, cuius causa Hæretici fuere. Vidistis oculis vestris innocentissi-
mum sanguinem, proxime præterito anno à rabida Hæreticorum
frendentium colluione passim effusum esse. Hi enim lupi, ne videren-
tur exuere vestitum ouium, non ipsi omnes suis manibus cruentis,
& sacrilegis, sed precio conductis ac mercenarijs, illam quam semper
spirant, siue connuentibus, siue annuentibus ijs quos prohibere
potius decebat, cædem & occisionem Christianorum fecerunt. Ec-
cum neminem Catholicorum sibi resistere, ne dicati vim aliquam in-
ferre, vidissent, suam verò insatiablem crudelitatem iam iam exerce-
re, ad id eos instigante Cacodænone, decreuerint, quoluis obuios
Catholicos sine delectu necando trucidandoque denotauerunt. No-
tis enim quam fortes sint milites pueri, tamen horum illi non paucos
sceleratii iaculis & bombardis traicerunt. Nostis quam pugnax vita
Sacerdotum, tamen quandam presbyterum, nomine Iacobum Wlo-
szanski, vita integrissima, ac innocentissima hominem, ad eadem om-
nium Sanctorum vicarium, in medio cæmiterio horas Canonicas re-
citante, grauissimis vulneribus affecerunt. Hæc sunt funestissima ini-
itia, quibus nisi in tempore occurseritis, æclum de vobis. Nam præ-
ter incomoda assiduitum multis, tales erga vos ministros ventris sui
cognoscetis, quales vicinæ, & alias plurimæ gentes remotiores exper-
te sunt. Cauete igitur, si qui tales estis, ne cum Iuda Iscariothe religio-
nem Catholicam, Christianam, atque adeò multo potius Christum
ipsum triginta aureis ministris Sathanæ diuendatis, atque in manus
peccatorum tradatis. Quod si feceritis, accipietis mercedem fratris ve-
stri Iude. Non affirmo, non nego, bene tamen omnibus cupio.

DE MULIERIBVS.

VT quoque de garrulo atq; vaniloquio gege mulierum bene mereri possimus, ex ijs, quæ multi multa vaticinia de mulieribus literis consignarunt, placet pauca in gratiam illarum afferre. Quale est cumpromis illud, quod inueni in quodam veteri codice? Mulier hominis confusio est, continua solicitude, indeficiens pugna, quotidianum dasnum, solitudinis impedimentum, adolescentiae naufragium, animal pessimum, pondus grauissimum, alpis insubilis, humanum mancipium, & vt ait D. Chrysostomus: amicitia inimica, inenitabilis poena, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, deletable detimentum, mali natura boni colore depicta, malum omni malo peius: si iniuriam patitur, insanit: si honorem accipit, extollitur: si potentis vxor sit, non cessat nocte atq; die callidis stimulare sermonibus: blanditur nequiter, & quod vult, rapit violenter. In summa: Omnis mulier sagita Daemonis, insatiabilis vorago, ianua inferni. Nonnulli formidas monstra esse hominum aiunt, & propter calorem deficiente nasci. Quod idem iterum Diuus Chrysostomus comprobat: Nulla bestia incomparabilis malæ mulieri. Et Mim. Mala uxore poena nulla acerbior. Nec ab his dissentit D. Ambrosius: Magna animæ amaritudo est, in domo uxori tristis. Ut interim missum faciam Ciceronem, cuius haec de muliere extant verba:

Femina nulla bona est, quod si probæ visa aliquando:

Nescio quo fato res mala facta bona est. Vnde illud per uulgatum:

Aspide quid peius? Tygris quid Tygride? Demon.

Damone quid? mulier, quid muliere? nihil.

Quo fit: ut multi, cum superent Daemonem, cedant tonitruis mulierum. Id Socrates Philosopherus expertus est. Quod attestatur Fulgentius: Mulierum verbalibus vndis, & Causidici cedunt, & pragmatici mutiunt, Rhetor tacet, & clamorem preco compelcit. Auguror itaq; proximo anno & alijs sequentibus, non fore fidias maritis suis, ne dum animabis. Viros quidem in ore, animos in corde gestabunt. Anima autem plus est vbi amat, quam vbi animat, illudque Catulli completum iri:

Mulier cupido quod dicit amanti,

Invenio, & rapida scribere oportet aqua: Hinc quidam

Non est in speculo res, quæ speculatur in illo:

Apparet: Et non est in muliere fides.

RIDICVLA SED IVCVNDA

quædam Vaticinia de A. D. I 6 12.

& I 6 13. aliis que sequentibus.

Ex Astrologia Joachimi Fortij desumpta.

Dominus
Anni.

Qualitas
aëris.

Morbi.

Bellum.

Metalla.
Annona.

Itinera
Ecclipsis
lunæ.

PROXIMO anno, inter sydera sol princeps erit, inter animalia homo, inter feras Leo, inter metalla aurum, inter cibos caro, inter potus genera vinum, inter spiritus Deus. Ver erit calidum ac humidum, æstas calida & sicca, Autumnus frigidus & siccus. Hyems frigida, & humida. Estate erunt quandoque pluiae, interdum fulmina ac tonitrua: aliquando cadent grandines, niues, præcipue æstate, dominabuntur. Serenitas erit circa orbem solis, frigus vigebit in extremis Zonis, & altis montibus. Calor & siccitas futura est sub Significe, ingens humoris copia erit circa mare Tyrrhenum, ac Ionium, & maxime in Oceano. Cœci parum aut nihil videbunt, surdi male audient, muti non loquentur. Senectus eodem anno erit inmedicabilis propter annos qui præcesserunt. Complures ægrotabunt, plerique morientur, & ante senectutem. Sani melius se habebunt quam ægri, Bellum erit inter aucupes & aucs, inter piscatores & pisces, inter canes & lepores, inter feles & mures, inter lupos & oves, inter Monachos & oua. Multi interibunt pisces, boues, oves, porci præsertim in Autumno, capre, pulli, & capones. Inter simias, canes, & equos, mors non tantopere sauiet. In aliquibus locis erunt cœdes ac homicidia, propter alpedem Martis. Aurum erit carius argento, plumbum erit mediocris precij. Non pauci in opia laborabunt. Reges & principes satis bene se habebunt. Vulgi fortuna, quandoque bona erit, interdum aduersa, aliquando mediocris. Diuites melius se habebunt quam pauperes. Circa Martium oues minoris ementur quam boues aut eis qui, erit bonum edere capones, pauones, perdices, & bibere optimam vina. Periculosa erit navigatio in Oceano occiduo, præsertim si orientantur tempestates. Plenilunium erit in Martio, vel Aprili, quando luna soli erit opposita. Quod si ipsa tur in caput vel caudam Draconis inciderit, occultabitur tantisper, dum rursus ex umbra terræ emergat. Unde varia erit in terris rerum mutatio, furta, adulteria, alex, homicidia, ebrietates, blasphemias, hæreses, & id genus alia, quæ Deus auertat. Si non credis, vide hac de re Arist, lib. 14. Physicorum cap. vltimo paulo post finem.

Vaticinia

Vaticinia notatu digna de Nouerca.

Non licuit mihi in meis vaticinijs, sicco (ut aiunt) pede noueras transire, ne, si forte se contemni a me arbitrarentur, iniquo erga me animo futuris annis sint, cum etiam illæ de nobis, quibus eas aliquando habere contingit, similiter mereantur. Nemmo autem mirabitur, Nouercam peiorem esse pessima quavis muliere, qui ea, quæ paulò superius de mulieribus, in communi, literis mandaui, perspecta habeat. Nam præter id, quod sit mulier, est etiam nouerca. Itaq; cum binas causas habeat suæ perueræ malitiæ, quid mirum est esse eam improbam? Imò vero, si quando bona est, obliuiscitur naturæ lux duplicitis. Sed ne ei facere iniuriam videar, si nimis rem nudis verbis prolatam, certis & evidentibus rationibus, & argumentis non comprobauerero, in gratiam illius, proferam in lucem, de illa antiquorum præsentissima testimonia. Neq; enim veteres illi viri, benigniores vñquam erga se nouercas experti fuerunt. Sic namq; de sua inquit Tragedus Seneca.

*Tulimus saeuæ iussa nouerca,
Hostilem animum, vultusq; truces.*

Virgilius quoq; non absimile de sua scriptum reliquit:

Est mihi namq; domi Pater, est in iusta nouerca.

Quinetiam idem ipse Virgilius, non aliter atq; de veneficis & incantatricibus sentit, dum priuignis hanc præparat, contra illarum venena & incantationes, medicinam:

Media fert tristes succos, tardumq; saporem

Felicit mali: quo non præstantius vllum,

Pocula si quando saeuæ infecere nouerca,

Misceruntq; herbas, & non innoxia verba.

Neq; etiam ab hoc dissentit Ouidius ingeniosus Poëta:

Lurida terribiles miscent aconita nouerca.

Cui Sententie assentit & Euripides, qui eam cum horrida viperæ confert: *Inimica consequens nouerca liberis prius genitis, viperæ nibilo clementior est.* Et ut multa in pauca contraham, illud solum documento esse potest, quanto odio prolequatur nouercæ suos priuignos, quod passim ab Authoribus usurpatur. Hi enim quando volunt exprimere acerbitudinem & atrocitatem odij illarum, dicere consueuerunt: *Odium nouercale.* quemadmodum etiam dicitur: *Odium vatinianum*, quo nullum videbatur esse crudelius: *Et nouercari* verbum quid aliud sonat apud Latinos, quam more nouercarum agere, hoc est, maligne & inimicissime. Etenim nouercæ ferè omnes, odio quodam fatali proleuantur priuignos: Nec aliam credo causam fuisse, quod Aphantinus Sophista non permiserit deflere mortem nouercarum, sed potius tunc

tunc maximè gaudere, lætari, & exultare præceperit, cùius verba su-
bijcere mihi placuit:

Rideatur qui ad tumulum nouerca fuerit lachrymatus.

Quæ omnia cùm ita se habent, videant obsecro Patres, quibus
est animus ad secundas nuptias, post defunctam vita matrem, transi-
re, an filijs pro pera scorpius, pro charissima matre, nouerca sit dan-
da. Hoc enim ne antiquis quidem illis vñquam placuit, vt hac de re
non ineleganter Euripides:

*Nunquam duplia connubia laudauerò mortalium, nec binas matres
babentes liberos. Quid ita? Quoniam ut ille ait:*

*Nouerca priuignis semper malum, negat amantes
Saluant, Phædrum inspice & Hippolytum.*

Hæc velim intelligi de omnibus in genere nouercis, vna excepta,
si est bona. Qua propter ego, cùm mihi mors implacabilis, mors in-
exorabilis, mors erga omnes ferreum cor gerens, matrem eripi slet,
summis precibus à Patre meo petij, vt faceret, ne per suas nuptias,
experirer benevolentiam alterius matris: verebar enim nimis eius na-
turam, & pessimos mores. Nam si mulierem, quæ suæ malitiæ vni-
cam tantum, quod sit nimis mulier, habet causam, ferre non possū,
quo animo possem nouercā, quæ duplē, quod scilicet & mulier sit,
& nouerca? Ex his itaq; auguro, omnibus sequentibus annis, nouer-
cas benignas & benenolas fore erga suos priuignos, si nullæ erunt.
Nam vt superiùs dixi, non nisi sublata causa, tollitur effectus. Quip-
pe nolentes volentes priuignos odio habebunt. Quoniam quod fa-
tale est, necessarium quoque esse putandum est. Ne mihi ergo po-
stea blandiatur nouerca. Hæc luit pulchra valde de nouercis scienda,
quicunq; legis ea Domine, quibus & doctior fias, & animum, serujs
negotij fatigatum, relaxes. Quo ergo iustum & verum laborem me-
rum præmio decorabis? Satis mihi erit, si hæc quæ de nouercis dili-
genter collegi, atq; posteritati scripta reliqui, perte nesciant nouer-
ca: semper enim verum esse ratus sum prouerbium illud: *Noli irritare
recrabrones.* Quod si feceris, & ego temper tutus ero ab illarum incan-
tationibus, & tu maiora eaq; meliora iudies à me expectabas. Ita fas
& lapies.

De Iudicibus & Causidicis.

Miraris cur tot sint Iudices? Quia etiam tot leges, vt illis Iegen-
dis decem iuste vitæ vix sufficiant. Hi vero an omnes iuste iu-
dident, me tacente, docet exemplum. Prætoris taurus in
Rustici cuiusdam tenuis pascua transiliens, vaccam eius cornibus
occideret. Qui, damnum accepérat, vel in hac re rusticus non sapiens
prætoreum adiit, & impunitate loquendi ex more datā: Prætor
(inquit)

(inquit) meus taurus tuam vaccam cornibus petiit, atque occidit,
quid iuris? Ille incunctanter: Quid aliud (inquit) nisi ut vaccæ
damnum mihi tauri nomine præstes, aut taurum, si mauis, noxa
dedas. Imò, inquit rusticus, ignosces imperitiæ meæ, nam lingua
laplus sum, præpostere causam proposui: Nam tuus taurus me-
am interfecit vaccam. Tum Prætor nimium impudens: Isthæc in-
quit alia res est. Quod cum ita sit, neq; iustiores esse futuros quosdam
sequentibus annis crediderim, si quidem his succedent nonnulli, qui
vel ira, vel cupiditate, vel metu, vel gratia, vel falsa aliqua existima-
tione corrupti primo fese totos, deinde aliorum substantias, perdent.
Hoc de malis tantum Iudicibus. Sed tamen adhuc non sumus tuti.
Nam instabunt etiā quidā causidici, qui ne fame pereant, lites querēt,
semina earum vbique spargent, mouebunt, augebunt detorquendis
legibus, & controversias malent constituere, quam tollere: idq; eis
eo erit factu promptius, quod legum obscuritas anlam prauis homi-
nibus præbebit, inflextendi eas quò voluerint, & different lites, in
longissimum tempus, vel in diē iudicij, ut vberior eis lucrandi spes afful-
geat. Ita breui tempore quæ erant facilia & liquida, inuoluta redden-
tur omnia, & perplexa, Idcirco quondam ille Matthias Rex Panno-
niæ, huic malo volens occurtere, Causidicos omnes regni finibus iuf-
fit excedere. Quod ego nostis nunquam euenturum esse vaticinor,
cum eos longe abesse ab illorum veterum peruersis moribus videam.

De Mercatoribus.

Nescio qui fiat, quod non tantopere nunc virtuti, vt pecunia
studetur: quilibet enim attentus ad rem, quilibet ardet rerum
habendarum cupiditate. Cauent omnes illud: *In qualite video panno, in*
talite colloco scanno. Idcirco paupertatis onus patienter ferre recusant,
debitum laborem cane peius & angue fugientes. Passim illud, & dicto,
& facto, comprobant, quod Poëta inquit:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primū.

Virtus post nummos. Idcirco etiam mercatorum genus in bo-
norum numero, & hominum celebritate reponitur. Cum tamen
Cic. in 3. lib. de Rep. dicat: Antiquitus nihil fuisse mercatoribus abie-
ctius, nihil vilius, nihil sordidius, eò quod turpi lucro supra modum,
cum alterius detrimento, omnes passim inhient. Rectè quidam: Ne-
gotiatores, inquit, nihil habent sacrum præter unum pecunia studiu-
m, cui se totos, ceu Deo, consecrarunt, hoc pietatem, hoc amici-
tiam, hoc honestum, hoc famam, hoc diuina pariter & humana me-
tiuntur, reliqua nugæ. Quid enim isti prædatores, mercatores volu-
dicere, semper hic erro, non audent tentare? ut dolis ac fallacijs sua-
crum enas dilatare, & facultates amplificare valcant. Sapè, imò fem-

per præ foribus sedentes, grauiore labore posthabito, doctè in emen-
do vendendoq; , incredibilibus astutis hospitum clementiumq; thecas
exhauriunt, & emungunt. Sollicitis computant articulis , quid utili-
tatis & quantum illis accrescat nihil laborantibus , sed ocio perpetuo
torpescientibus. Apud Romanos, Lacedemonios, & Thebanos, con-
tra Mercatores lex fuit lata eiusmodi , vt nemini illorum Reip. mu-
neribus præesse liceret, quod priuato magisq; publico bono soleat
inseruire. Etenim in Mercatura & nundinatione optimè exercitati,
omnibus ciuib; Deum sanctosq; obtestando, bona eripere , & in se-
velut aliquæ immensæ voragini, omnia ablorbere conarentur. Hic
est illorum iustitiae cultus , hæc pietatis illorum ara. Iam uero si illo-
rum quispiam ad obtainendum in Rep. Magistratu viam & aditum si-
bi, per aliquid virtutis, & officij simulachrum, patefacere voluit, ab
omni mercatura, & negociatione per decursum decem annorum , tan-
quam post occisum Patrem, aut violata Superorum numina abstine-
re debuit: vt hoc pacto , quæstibus hisce, Deorum religionem veluti
contaminatam , abstinentia expiatet. Hinc Arist: inquit, 7. Polit.
Mercatores non esse dignos , qui in Ciuium numerum ascribatur.
Quia huiusmodi vita vilis est admodum , & virtuti penitus aduersa.
Nam quod illis magis familiare est, quam periurium? & omnis vita
dissolutio? quid habent magis contrarium suisq; moribus diuersum,
ac repugnans quam temperantiam? Etenim leui opera ingenti con-
flata nummorum copia, in omnē se effundunt viuendi turpitudinem,
ita vt vino fese ingurgitantes quotidie, conuiua lautissima comparent,
feseq; totos poculis plenis uno spiritu exhausti conferent, ac
deuoueant. Reclite D. Chrysostomus, Quemadmodum inquit, si tri-
ticum, aut aliquam frumenti specie, in cribro dum hue & illuc iactas,
grana omnia paulatim deorsum cadunt, in fundo cribri nihil
illis remanet, nisi peccatum. Quocirca vt ille qui ambulat inter duos
inimicos , ambobus placere volens, & se commendare sine multilo-
quio non potest. Necesse est enim , vt & isti male loquatur de illo , &
illi de isto : Sic qui emit & vendit sine mendacio , & periurio esse non
potest: necesse est enim , vt negotiatoribus hic iuret, quia non tan-
tum valet res, & ille deinceps iuret, quia non tantum valet res, quan-
ti comparat eam. Ista autem vitia maximè in Phœnicia, Ægypto,
Cayro, & apud gentiles omnes vigebunt. Quod si Christiani aliqui re-
pertii fuerint illis similes, deteriores illis dicentur & habebuntur.
Cracovia nostra per Dei gratiam libera erit ab his malis, scilicet.
Ergo iuste & minore precio mihi vendite, si quid emero iuste vatici-
nanti.

Vaticinia duo ex Physiognomia.

Primum. vita brevis signa colligunt, rares dentes, prælongos digitos, ac plumbeum colorem corporis. Contra, longæ, incurvos humeros, nares amplas, & tria signis dictis contraria: multos dentes, digitos breues, craslosq;, atque colorem clarum.

Secundum. Supercilia concreta, & se contingentia, omnium fung pessima: notant enim maleficum, plagiarium, & nefarijs artibus detitum. id quod Ioannes de Indagine, frequenter se obseruasse dicit in vetulis sagis, quæ ad incendium duxeræ, huiuscmodi præterebant supercilia.

Quod quibusdam secundum proprium vitæ statum, conditionem, complexionem, ætatem sit utile vel inutile factu Vaticinia pro anno 1612. & alijs sequentibus.

Ut quis nunquam canescat.

Septem sibi cauonda esse sciat, qui etiam in senectute, nedum in ætate immatura vult euadere canos capillos. Sunt autem hæc: Cura, ebrietas, nimius rei venereæ usus, calida regio, frequens usus balnei calidi, exquisita medicamenta, & lotio capitum calida aqua. & octauum habeat oportet, nimirum naturam fortem: Imbecilla enim proclivis, ac prona est sponte sua ad immaturam caniciem, quæ non potest euitari, quia non est posita in nostra potestate, aut voluntate, & est probatum, atque expertum. Hic non possum mirari satis diuinam prouidentiam, quæ etiamsi naturæ posuerit terminos suos, quos nemo præteriret, tamen non paucos continentes nos ipsi oculis nostris vidimus, his ipsis artibus sic naturæ, alioqui falli nec scia, impetum si non omnino repressisse, at certe retardasse.

Melancholicis.

DVO sunt remedia, quibus melancholiæ ex animo pellas. Alterum ut bene nutrias corpus, ambules, ludas, conuiueris, corpus vino impleas, ac alijs modis recrees mentem. Iccirco non nulli ante concionem integros vini cantharos spiritu uno quondam exhaustebant. Alterum. Ut multum dormias: incredibile enim, quantum lucis, quantum alacritatis res ea adferat animo.

Aliud Salubrius.

Quidam scripsit, Melancholiam pelli, si corpus perficitur vetricis. Experire.

Conuiuio.

Obseruatio vulgi est, si tredecim in conuiuio sint, vnum ex illis ante annum moritum. Vidi nonnullos, qui ob id ad conuiuantem duodecim nunquam accedebant, ne numerum dictum complerent.

Senibus febricitantibus medicina.

David Rex septuagenerarius, cum senili frigore torperet, nec pellibus opertis calesceret, medicorum consilio perlausus, spem etati decoris puellam Sunamiti Abisag, castè in eius complexibus dormiuit, ut ex eius calore stomachi robur fouveretur.

Volentibus diu & salubriter viuere.

Quid post Deum melius, quam diu vitare, & prospera valetudine trui? Quando enim videt homo agi de vita sua, quid non largiatur liberatori suo? An vero sic ullus tam insanus, qui in vita periculo pecuniae parcat? Cui ergo tempori numeri reteruat usum illico periturus? Pelle pro pelle, sicut lob inquit, et omnia que possidet homo dabit pro anima sua. Festiuus Philippus Alexandri Pater, quem à clauicula luxata laboraret, & subinde aliquid pecuniae Medicus posceret, accipe iam, inquit, omnia quae voles, quando habes clavem. Verumtamen plerique ita tractant vitam, ac si ea nihil à te alienum esset magis, diligenter enim astringunt pecuniam, vestes, & id genus alia, quam vitam. Quis enim ex ædibus suis ejiceret in viam lapideam argentum, aurum? At multi vitam suam periculo latronum exponunt diurnis nocturnisque grastationibus. Quis vitro vas magnos lapides, quos sustinere nequeat, nisi frangatur, violenter impingat? At plerique ita crapula & ebrietate distendunt ventrem suum, ut, quamvis non adeo sensibiliter, sepe rumpatur. Et ita velociter deglutiunt cantharos, ut nullus imber, nulla grando e celo, velocius caderet possit. Alij vero pecudum ac venereis indulgentes voluptatibus, plus quam canes, lues, ypsi, ceteraque bruta, in vitam suam debacchan-

tur. Alij pro scortis pugnantes, animam suam, nullo precio estimantur. Alij de lana caprina rixantes, ne videantur esse superativerbis in taberna armis superantur, & turpiter occubunt. Qui vero curis ac sollicitudinibus eam ante tempus consumunt, hi sunt, qui non eritis atque dies nulli rei magis, quam diuitijs inhiabit. Qui hic in aeternum se victuros arbitrantes, sicut apud inferos Cerberus animas, ita omnium diuitias insatiabiliter concupiscunt, hachj inani cura se se miseri totos frustra perdunt. Quid enim stultius esset eo homine, qui confitetur iter vii dies, se esse onerare tantum nonna mille dierum? Atqui diuitiae sunt breuis vita longum viaticum. Quidam, propter vanam garrulitatis ostentationem, tanto furore sequuntur, ita chartis impallescunt, ita libris immoriuntur, ut reuera ante tempus a natura praefinitum moriantur. Fuit quidam professor ante septem annos admodum iuuenis, sed eruditus, atque ob id solum meritum ab omnibus celebrandus, qui iamiam spiritum exhalans, se studiorum labore absumentum est viuis exceedere affirmauit, eamque diligentiam discipulis nomine suo testamento reliquit. Quidam vero contra ita ocio torpescunt, ac languidi efficiuntur, ut caduera & non homines te videre existimes. Ipsi sunt, qui nihil discere volunt, qui plus corporis quam animi bonis consulunt, qui non perpendunt, quam speciosa, quam celestis, quam diuina quedam res sit mens ornata varijs disciplinis. Ego sane non video, quid haec hominum monstra, qui corpus grande circumferunt, vel aegre trahunt potius, a bobus distent, nisi quod loquantur, non mugiant. Facies stupida, aspectus hebes, crassa labia, semper terram & pabula spectant, venter ingens, quem quater aut quinquies quotidie implent, isthac animalia generosos spiritus ad altissimos trahunt ad quietem. Aliqua tamen discenda arbitrantur, quae more suo apud imperitos inter coniuandum queant ostentare. O pecudes, o belluae, non homines. Maximè autem omnium homines morte immatura tolluntur propter peccata, quae Deum non timendo, homines non verendo, patrant, quod sacre literae plurimis in locis docent, & exemplum comprobant. Iuuenis enim quidam imberbis, sed nequam, suspensus, mox apparuit cum nimis prolixa, eaque cana, ac venerabili barba, quem attoniti spectantes, responsum acceperunt ex revelatione Dei: Talem futurum, ad talesque annos per veuturum, si non peccare contueslet: Quae omnia ideo faciunt, quia parum aut nihil credunt nostris vaticinijs, quae sunt verissima: credent postea, sed sero, cum iam regreslus non dabitur illus. Quod si quis vult quam longissime, & quam saluberrime producere vitam, nes frustra implorando auxilium

auxilium Medicorum postea eam repetere velle, ea in primis, quæ di-
xi paulo superius caniciem adferre, quantum fieri poterit, deuitem. Et
quoniam experimenta, ex quibus & artes ipsæ, ut ait Arist: natæ sunt, ubique
locū habent, & habere debent, disce diu in bona ac prospera valetudine
viuere, ab ijs qui sic vixerunt. Emultis autē unum tibi imitandum propo-
no. Sed ne dicas vnam hirundinē non facere ver: Nam alios tibi aliunde
conquirere poteris. Hic autē est Nicolaus Leonicensis Vicentinus, Me-
dicus peritissimus, qui hoc nostro læculo peruenit ad 90. annuin in-
tegerissimus (quæ omnia hodie miracula) sensibus, vegetaque; memoria,
nec incurua quidem ceruice, quum esset statura celsioris, & sine scipi-
one venerabilis. Is & vitæ exemplo, & præceptis tibi longam & salu-
brem vitam persuadet. Vita eius hæc fuit: Ab inuente ætate nunquam
ocio, sed studijs literarum deditus fuit. Cibi & vini maximè absti-
nens, somnique, minimi, præsertim verò venereis continentissimus,
vsque adeo mollioris vitæ voluptates abdicavit, ut pecunias, luxu-
riæ instrumenta, nec agnita quidem monetæ nota, contemneret. Obla-
tum, & nulla delectum cura, cibum caperet: nec unquam de fortu-
na quereretur, quod vnam vir acutus studiorum laudem respiceret, nec
opportuna mediocris vitæ subsidia sibi defutura prospiceret. Præcepta
verò vitæ suæ congrua hæc dedit:

Quum enim aliquando Paulus Iouius Episcopus Nouocomensis ab
eo comiter peteret, ut ingenuè proferret, quonam arcano artis vtere-
tur, ut tanto corporis atque animi vigore vita senectutis eluderet.
Viuidum, inquit, ingenium, perpetua vita innocentia: salubre verò
corpus hilarifugalitatis præsidio, facile tuemur. Dignus certè qui i-
mitetur: Quæcumque enim præcepta de conseruanda valetudine hic
dicta sunt, aut unquam alicubi leguntur, in hoc vno viro quasi libro
viuo, omnia fere cernuntur. Itaque nullam magis compendiosam tibi
tuenda sanitatis viam demonstrare possum. Sic fac & viues.

Diabolis.

LYANUS dice re solebat: Diabolum non timere Verbum, sed Ad-
uerbiū. Nam orare, eleemosynam dare, psallere, confiteri
peccata sua, non veretur, sed deuotè orare, recte dare eleemosy-
nam, bene psallere, verè, & non fidè confiteri peccata, id timet.

Iaculatoribus.

Iaculatoribus.

Si bombardis aues confidere voles, imposito globo plumbeo, seu Scharta, injice minutos silices, aut clavos ferreos in partes concisos: deinde adde chartam concisam, ne excidant: Sic uno ictu alites fortè nouem, seu decem habueris.

Piscatoribus, qui non habent retia, quales sunt pauperes Rybaldi, & in villis Magistri.

Cape longum & tenuem filum, huic insere lumbicos multos, vel filum occultetur, id conuolutum, atque affixum longæ virgæ, esca erit ad capiendas anguillas. Nam incurui dentes piscium, vermis haustis, filo adhærebunt.

Cœlibibus.

TAETUS voluptas nimia, spiritum, & calorem naturalem supermodum resolutus. Humidum radicale, seu naturale, quo nativus alitur calor, exsiccat. Vnde morbi, ne dicam mors, citius, quam natura fert, accidentur. Quapropter à delectatione cauendum est. Præter multa autem, & magna incommoda, quæ nimis afferunt Diij voluptarij, illud maximum est, quod cerebrum & cor debilitat, totumque corpus exsiccat: propterea quod de substantia postremi alimenti evacuat. Sperma enim est ultimum alimenti utilis, cum etiam, quod propter voluptatem nimiam, spirituum, & nativum caloris dissolutionem, & ventriculus præcipue laeditur: sicut eius oportuna abstinentia iuuatur. Non abs re putauit Auctenna magis obesse, si modicum quid spermatis effluat, supra quam tolleret natura, quam si quadrages plus sanguinis promanauerit: nam semen est res nativo calori, & humido conformior ac spiritualior, quam sanguis. Incrementum quoque impedit, vnde quos nouimus deditos fuisse adolescentes huic turpitudini, nunc videimus totum corpore non solum relaxatos, imbecillesque, sed etiam siccos, graciles, pallidos, atque cauis oculis. Sed si quis calida impensa cibaria, & flatuosa, vinumque, præsertim potens, ac multum deuicit, venerealque imaginationes, & similes voluptates fugiat, non facile a Venere tentabitur. Pariter si Philosophia moralis, & sacrarum

ficerarum studijs se dedat, & otia penitus abiiciat, pulchrarumq; mulierum quantum fieri potest, consortia. Plumeus lectus ablegetur. Qui dam aqua gelida verenda macerant, praesentaneo remedio. Tu vero efficacius remedium hoc accipe. Hyeme niuis gelu concretæ, æstate vetricæ minoris, vel in defectu huius, maioris, manipulum iustum, aut quantum satis est cape, & da pudendis tuis in circuitum, & liberaberis. Sineq; hoc te iuuat, vt iuum, atq; omnium praesentissimum est, vt accepta face ignitæ, tibi loca illa tam diu inuras, & cremas, donec tentatio dilcedat, exemplo Mariæ Coronellæ Hispanicæ Matronæ, quæ marito diutius militiæ commorante, cum acri libidinis ardore inflammaretur, ardenti face pudenda sibi inussit, vt ignis vi flamnam ignis extingueret. Qui ne hoc quidem fuerit contentus, iam tantum unicum restat auxilium, idq; desperatum, vt sibi membrum, quod le scandalizat, amputet, atq; præcidat. Quemadmodum Icio quendam nobilem tractus Lublinensis ante septem annos fecisse, hoc que modo à se temptationem repulisse. Et is erat studiosus literarum. Sed deniq; lata copiolaq; cibaria demittantur, præter necessarium tundæ sanitatis usum. Nam venter, pluma, venus, laudem fugienda sequenti. Refert D. Chrysostomus, Christum Dominum nostrum, dum in terris ageret, ita parum comedisse ac bibisse, vt superfluum illud alimentis non generarit. Sed in hac re, vt in multis alijs, paucissimos illum habere imitatores puto, & si pleriq; in ore habeant, omnem Christi actionem, nostram esse instructionem.

Nonnullæ Historiæ.

Placuit mihi aliquot historias selectiores his vaticinij subiuxisse, vt, si quid simile, vel mirabile, futuri annis acciderit, scias non primum tibi euensi: intelligasq; nihil nouum esse sub sole. Sed iam ad Historias tempus venire. Saxo Grammaticus in Historia Regum Danie tradit, in oppido Rugianorum viribus, et Præstigijs caco-demonum olim effectum esse, vt mares cum foeminis congregientes, canum more cohærerent, & ita agglutinarentur, vt diuellini non posseint, nisi perticis utrinq; appensi, ridiculum spectaculum populo exhibuissent. Quod viuam hodie tornicatoribus & mæchis eueniatur, Faber cum ex altissimo templo decidisset, casuq; suo ipse illatus, occidisset alium, à filio mortui senis in iudicium vocatus est, cui respondebat, Ascende tu in eum locum, è quo cadebam, ego sedebo ubi pater erat.

erat, & me quoq; ruendo interficiās. Si asini cicutam liberius depascantur, somno profundissimo, & torpore inexpugnabili corripiuntur, ita ut non tantum stupidi, sed plane mortui videantur. Quod rusticos rei huius ignaros fecellit. Nam dum asini, quos ob id mortuos credebant, pelleū ad vnum detraherent, accidit ut in medio ferē operis, asini experreēti sint, magno ex corriantium terrore, & in genti spestantium risu. Rusticus empturus aliquid in domo fabri, viā ante pedes parte ferri, arreptāque, manū adūssit, nihil de igne cogitans. Is commotus, alterum enī petit: Faber accito puero, iubet ut terrum auferat, hic super hoc prius expuebat, auditōq; strepitū, dixie esse calidū: Rusticus reuersus domum, in calidissimum cibū ex aquā, herbis, & modico pane, paratum sibi ab uxore simili modo expuebat, nullumq; sentiens strepitum, bonam partem illico hausit. Satyrus cūm vehementer algeret, hyberno gelu supra modum ſeuiente, ab agricola inductus est in hospitium. Hic videns rusticū inflantem in manus, roganit, cur id faceret; vt eas calefaciam, inquit. Mox appositā mensā, cūm idem inflaret in feruidam ostiam, iterum roganit, cur idem faceret: vt eam refrigerem, respondebat. Quid? ait Satyrus, ex eodem ore calidū & frigidū? quod montri genus hoc est? & confestim ex adibüs fugit. Apud Lyndios in Rhodo insula. Herculis sacra maledictis & execrationibus peragebātur, eaq; pro violatis habebantur, si quando inter tolennes ritus, vel imprudenti, vel nescienti aliqui bonū verbum excidisset. Quidam cum à filio crinibus protrahe retur, ventumq; eslet ad domus limen, desine, inquit fili, nam & ego Patrem huc vñq;. Et accusatus ille quod Patrem pullaslet, hoc modo defendit causam suam: Et ille, inquit, Patrem suum verberavit, & hic (ostento filio) me verberabit, postquam adoleuerit. Myron nescio quis canus roganit noctem Laidis, ille repulsa tuit. Sed cūm Myron amens animaduertislet, se ob senium à Laide repudiari, crinē fucauit, iterumq; adjit Laiderem, idē quod prius orans illa faciem noctis abunda, sed crine mutato decepta, credidit hunc, vt pote capillo & atati iuuenili competente, filium esse illius pristini amatoris, quā noctem poposcit, cūm tamen idem eslet, diuerſo tamen crine. Respondit igitur Laides: te Patri suo iam nō negas.


In detractorem
Carmen.


Multum sollicito profundus Auctor.
Confecit, vigiliꝝ opus labore.
Non sic califer ille fortis Atlas
Sustentare polum valebat, iste
Ut faciliter id sibi imperauit:
Et feliciter exequutus idem.
De musis igitur meretur, altum
Virtutis referans iter sacraꝝ.
Delectat liber iste, siḡ, prodest
Illi non liuor inuidus nocebit.

Hermolaus Burdacz,
Stud: Poéscos.



7226





7226
8

